

CAPUT II

1. Ego flos campi, et liliū convallium.
2. Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.
3. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios: sub umbra illius, quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.
4. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.
5. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.
6. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.
7. Adjuro vos filiae Hierusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quosque ipsa velit.
8. Vox dilecti mei; ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.
9. Similis est dilectus meus capreae hinnuloque cervorum: en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.
10. En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera, amica mea, formosa mea, et veni.
11. Jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit.
12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra.
13. Ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem, surge, propera, amica mea, speciosa mea, et veni.
14. Columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora.
15. Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas; nam vinea nostra floruit.
16. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia;
17. Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, revertere, similis esto, dilecte mi, capreae hinnuloque cervorum super montes Bethel.

PRIMA EXPLANATIO

Exequitur, quod exponere instituit amoris inter istos conjuges, atque laudum certamen. EGO FLOS CAMPI, ET LILIUM CONVALLIUM. Ambiguum est utrius illorum haec oratio sit, nam ex utriusque persona accipi potest, nisi quod ipsa rerum natura postulare videtur, ut eam sponsae tribuamus. Nam se laudare foeminas magis quam viros decet. Quare mea quidem sententia, haec cum proxime

praeteritis adnectenda sunt, et cuncta uno prolatu dici intelligenda, ut post lectuli flores, et post domus laquearia cedrina, quibus illa sponsum ad una secum permanendum invitavit, adjiciat nunc sponsa se etiam esse pulchriorem rosa, dicatque continenti et nusquam interrupto spiritu: LECTULUS NOSTER FLORIDUS EST, ET TIGNA DOMURUM NOSTRARUM CEDRINA, LAQUEARIA CYPRESSINA, ET EGO FLOS CAMPI, ut et lectuli amoenitate, et domus magnificentia, et sua ipsius pulchritudine et venustate ad se amandum sponsum provocet, et alliciat. EGO FLOS CAMPI. Quod flos interpretis vertit, id in hebraeo est הַבְּעֵלָה Habaceleth, id porro tradunt genus esse rosae colore nigro quidem, sed specie venusta, et odore suavi: quod valde quadrat sponsae, quae item nigra et formosa superius dicta est.

Sequitur: ET LILIUM CONVALLIUM. Haec sponsa quidem dicit, non tamen de se, ut mihi videtur, sed de sponso potius suo. Quod pronomine addito planius dicas; Ego flos campi, et tu liliū convallium. Pro lilio, in hebraeo est שׁוֹשַׁנָּה Susanot, ii vero sunt flores senis foliis. Convallium vero epitasim habet: nam in convallibus laetius haec omnia proveniunt propter humoris majorem copiam. SICUT LILIUM INTER SPINAS, SIC AMICA MEA INTER FILIAS. Haec jam ex persona sponsi dicuntur, quia ab eo quod postremum in oratione sponsae fuit, initium faciens, eam iterum laudat, et quod lilio convallium similis ipse dictus est, docet id sponsae aptissime convenire: nec id solum ut lilio similis sit, sed ut inter spinas lilio: et sibi attributas laudes in sponsam retorquens, auget eas, et amplificat. Nam quae juxta spinas nascuntur rosae, eo pulchriores videntur, eoque magis oblectant oculos, quo spinarum, quibus obsidentur, horridior est species; nam horrore illo illustratur rosarum nitor. Itaque dicit. Quod me lilio sponsa adsimilas, id in te plane quadrat, quippe quae, et aetatis virore et specie liliū omnino refert, ut quantum rosa ab spinis distat, tantum ipsa forma praecedas reliquas foeminas, at-